



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

Incipit Inquiritio de his quæ Episcopus vel ejus ministri in suo districtu vel  
territorio inquirere debeant per vicos, pagos, atque parroechias suæ  
dioceseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**



## INCIPIT LIBELLUS

DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS

& religione Christiana, collectus ex  
jussu Domini Metropolitani Rath-  
bodi Trevericæ urbis Episcopi à  
Reginone quondam Abbe Pru-  
miensis monasterij ex diversis sancto-  
rum patrum Conciliis & decretis  
Romanorum Pontificum feliciter in  
Dei nomine. Amen.

*INCIPIT INQUISTITIO  
de his quæ Episcopus vel ejus ministri  
in suo districtu vel territorio inquirere  
debeant per vicos, pagos, atque parrœ-  
chias suæ dioceſeos.*

- I. **N** primis inquirendum est in  
cujus sancti honore consecrata  
sit basilica, vel à quo fuerit con-  
secrata. Post hæc ipsa Ecclesia  
circumspiciatur, si bene sit coo-  
perta atque camerata, & ne ibi columbæ vel  
B iii

22 REGINONIS LIB. I.

aliæ aves nidificant propter immundiciem  
stercoris sive importunitatis inquietudinem.

2. Quo metallo sint signa ipsius Ecclesiæ.

3. Si fœnum, annona, aut tale aliquid in  
Ecclesia mittantur.

4. Deinde ad altare accedere oportet, &  
contemplari qualia sint in dumenta ejus, quot  
nova, & quot vetusta, & qualiter nitida.

5. Quo metallo sint capsæ & crucis cooper-  
tæ, aut si diligenter reconditæ sunt reliquiæ in  
altari, aut si ipsæ capsæ seris & clavis munitæ  
sunt.

6. Quo metallo sit calix & patena, & si  
mundus sit ab omni forde, aut ubi reponatur.

7. Si corporale ex mundissimo & nitidissi-  
mo linteо sit, & ubi recondatur.

8. Si locus sit in secretario aut juxta altare  
præparatus ubi aqua effundi possit quando  
hæc abluitur, & si vas ibi dependeat ubi sa-  
cerdos manus lavet post perceptionem corpo-  
ris & sanguinis Domini, & Presbyter, Dia-  
conus, aut Subdiaconus ibi primo corporale  
lavet.

9. Inquirendum si pyxis semper sit super al-  
tare cum sacra oblatione ad viaticum infirmis.

\* Forte, Psal-  
terium, ut in  
Capitulis  
Walterij  
Aurelian.

c. 7.  
\* Editio Hel-  
mestad. &  
Hincmar.  
recitati

10. Si Missale \* plenarium, Lectionarium,  
& Antiphonarium habeat. Nam sine his Mis-  
sa perfectè non celebratur.

11. Videndum etiam quot alij libri ibi sint,  
& an bene sint \* retiati, quot & qualia vesti-  
menta sacerdotalia ibi sint, & si sint nitida,  
aut in nitido loco collocentur.

12. Requirendum de luminaribus ipsius Ec-  
clesiæ, & quot cerarios habeat.

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 23

13. Investigandum si habeat ipsa Ecclesia mansum habentem bonyaria duodecim , præter cimiterium , & curtem ubi Ecclesia & domus Presbyteri continetur , & si habeat mancipia quatuor.

14. Quot mansos habeat ingenuiles , & quot serviles , aut accolas , unde decima reddatur.

15. Considerandum etiam si atrium Ecclesiæ sit sepe munitum , ne aliqua immunditia polluatur.

DE VITA ET CONVERSATIONE  
PRESBYTERI.

16. Inquirendum si Presbyter cellam habeat juxta Ecclesiam , aut suspiciora in circuitu ostiola sint.

17. Si suspiciosus de aliqua femina sit , aut in sua domo aliquam subintroductam habeat mulierem.

18. Si visitet infirmos , si eos reconciliet , si eos unguat oleo sancto juxta Apostolum , si eos propria manu communicet , & non per quemlibet laicum. Si tradat communionem laico aut feminæ ad deferendum infirmo . quod nefas est.

19. Si pro baptizandis infantibus , aut infirmis reconciliandis , vel mortuis sepeliendis præmium vel munus exigat.

20. Illud super omnia perscrutandum , si sine baptismo per neglegentiam Presbyteri aliquis infans in parrœchia mortuus est.

21. Si per domos extra Ecclesiam Missam cantet.

22. Si sit ebriosus vel litigiosus.

B iiii

24 R E G I N O N I S L I B . I.

23. Si arma ferat in seditione.

24. Si canum aut avium jocis deserviat.

25. Si in tabernis bibat.

26. Si Clericum habeat qui legat epistolam vel lectionem & qui ad Missam respondeat, & cum eo psalmos cantet.

27. Si nocturnis horis ad matutinas laudes persolvendas omni nocte surgat.

28. Si primam , tertiam , sextam , nonam certo tempore signo Ecclesiæ denuntiet , & cursum debitum cantet.

29. Si Missarum solemnia non ante horam tertiam celebrentur.

30. Si Presbyter , quod absit , postquam cibum aut potum sumpserit , Missam celebrare præsumat.

31. Si thuribulum habeat , & incensum in sacrificio Domini offerat.

32. Si verbum Domini populo adnuntiet.

33. Si tempore statuto , id est , circa horam tertiam diei , Missam celebret , & post hæc usque ad medium diem jejunet , ut hospitibus atque peregrè venientibus , si necesse fuerit , possit Missam cantare.

34. Si curam pauperum ac peregrinorum & orphanorum habeat , eoque juxta possibilitatem suam ad suum prandium invitet.

35. Si aquam benedictam omni die dominico ante Missarum solemnia faciat in vase nitido & tanto ministerio convenienti , de qua populus intrans Ecclesiam & stans in Ecclesia alpercatur.

36. Si calicem aut patenam vel vestimentum sacerdotale aut librum præsumat taberna-

rio vel negotiatori in vadium dare.

37. Si xenium vel quocunque emolumen-  
tum temporale , immo detrimentum spiritua-  
le , à quoquaque publicè peccante vel ince-  
stuoso accipiat ut Episcopo vel ejus ministris  
peccatum illius reticeat.

38. Si aliquem minus dignè pœnitentem fa-  
voris aut familiaritatis aut consanguinitatis  
gratia ad reconciliationem adducat , & ei te-  
stimonium reconciliationis ferat.

39. Si quando ad anniversarium diem , trice-  
simum , septimum , vel tertium alicujus de-  
functi vocatus fuerit , se inebriare præsumat &  
precari in amore sanctorum vel ipsius animæ  
bibere , & alios ad bibendum cogere , vel se  
aliena precatione ingurgitare , & plausus & ri-  
fusus inconditos & turpia joca & cantus inde-  
centes facere præsumat.

40. Si nihil patrimonij habens quando pro-  
vectus est ad dignitatem ecclesiasticam , postea  
emit prædia , cuius juris sint.

41. Si usuras exigat , & conductor sui senio-  
ris existat.

42. Si Missam cantat & non communicat.

43. Si feminam ad altare permittat accede-  
re . & quod non licet calicem Domini tangere.

44. Si per pecuniam fuerit ordinatus , vel  
ipsam in qua cantat pretio obtinuerit Eccle-  
siam.

45. Si aliam antè habuerit Ecclesiam , & ea  
dimissa , ad aliam quæstus causa migraverit.

46. Si plures teneat Ecclesias sine aliorum  
Presbyterorum adjutorio.

47. Si in alterius parrocchia Missam cantat

26 R E G I N O N I S L I B . I.

absque compresbyteri voluntate vel rogatu.

48. Si decimam ad alterum pertinentem recipit.

49. Si pœnitentem invitat carnem manducare & bibere vinum , nisi pro eo ad præsens elemosynam fecerit.

50. Si cartas scribat , vel sui senioris condutor existat.

51. Si indifferenter baptizet.

52. Si non habet fontes lapideos , vel aliud vas ad hoc præparatum , in quo nihil aliud fiat.

53. Si orationem dominicam & symbolum omnibus suis parrœchianis insinuatum habeat.

54. De Letania majore.

55. De Rogationibus.

56. Si jejunium quatuor temporum anni plebi omnimodis observandum adnuntiet.

57. Si feria quarta ante quadragesimam plebem sibi commissam ad confessionem invite , & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungat , non ex corde suo , sed sicut in Pœnitentiali scriptum est.

58. Si tribus temporibus anni , id est , Natale Domini , Pascha , & Pentecosten , omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere admoneat.

59. Si illud etiam admoneat , quibus temporibus conjugati se abstinere debent à propria uxoris.

60. Ut nullus Clericus ad nuptias pergit.

61. Si de oblationibus quæ à populo offeruntur die dominico & in diebus festis , expler-

Missa, eulogias plebi tribuat.

62. Si sine stola vel orario in itinere incedat.

63. Si postponens clericalia vestimenta, laicalibus utatur indumentis.

64. Si aquam cum vino misceat in sacrificio Domini.

65. Si expleta Missa reliquum corporis & sanguinis Domini ipse Presbyter cum timore & reverentia sumat. Et si Diaconum aut Subdiaconum non habet, ipse manu propria calicem & patenam abluat atque abstergat.

66. Si absque alba, aut cum illa alba qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.

67. Si de decimis quatuor fiant portiones.

68. Si rem Ecclesiæ aut possessionem aut mancipium vendere, commutare, aut quo-cunque ingenio alienare præsumperit.

69. Si diem dominicum & alias festivitates absque opere servili à vespera in vesperam celebrare doceat.

70. Si plebem admoneat ut in atrio Ecclesiæ nequaquam cantent, aut choros mulierum ducant, sed Ecclesiam ingredientes verbum Dei cum silentio audiant.

71. Si carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis ignobile vulgus cantare solet, & cachinnos quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis prohibeat.

72. Si offerentes instruat ut candelam vel quicquid aliud ad altare deferre placuerit, ante Missam, vel antequam evangelium legatur, offerant.

73. Oblationem autem unam tantummodo oblatam ad offertorium pro se sūisque omnibus unusquisque offerat.

Q U I D S I T A P R E S B Y T E R O  
R E Q U I R E N D U M .

74. Postquam hæc omnia diligenter investigata fuerint , tunc ipse Presbyter ab Episcopo vel ejus vicario percunctandus est ,

75. Si ex ingenuis parentibus sit natus , aut ex servili conditione.

76. Si de eadem parrœchia aut de alia sit natus vel ordinatus.

77. Si sit de eadem parrœchia , inquirendum est à quo Episcopo fuerit ordinatus , vel ad quem locum ptætitulatus.

78. Si servus est , ostendat cartam libertatis.

79. Si de alia parrœchia , ostendat litteras commendatitias , quas formatam vocant.

80. Si ulla parte corporis est imminutus. Si seipsum abscedit.

P O S T H A E C D E M I N I S T E R I O S I B I  
C O M M I S S O I N Q U I R E N D U M E S T .

81. Si expositionem symboli atque orationis dominicæ juxta traditionem orthodoxorum patrum penes se scriptam habeat , & eam pleniter intellegat , & inde prædicando populum sibi commissum sedulò instruat.

82. Si orationes Missarum , præfationem quoque canonis , & eundem canonem bene intellegat , & memoriter ac distinctè proferre valeat.

83. Si epistolam & evangelium bene legere possit atque saltem ad litteram ejus sensum manifestare.

84. Si psalmorum verba & distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat.

85. Si sermonem Athanasij Episcopi de fide sanctæ Trinitatis, cuius initium est *Quicunque vult salvus esse*, memoriter teneat, & sensum illius intellegat, & verbis communibus enuntiare sciat.

86. Si exorcismos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum & feminam pluraliter atque singulariter distincte & rationabiliter proferre valeat.

87. Similiter ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis.

88. Ordinem quoque reconciliandi juxta modum sibi canonice reservatum, atque unguendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes, si bene scit legere aut memoriter enuntiare.

89. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum.

90. Si memoriter teneat exorcismos & benedictiones salis & aquæ.

91. Si cantum nocturnum atque diurnum noverit.

92. Si compotum minorem, id est, epactas, concurrentes regulares, terminos pascales, & reliquos sapiat.

93. Si habeat martyrologium, ex quo certis diebus natalitia sanctorum populo adnuntiet.

94. Si habeat quadraginta homilias Gregorij, & eas studiosè legat atque intellegat. Vel si eas habere non potest, vel sermonem prædicti doctoris de septuaginta discipulis à Domino ad prædicandum missis habeat & diligenter legat & intellegat, & cognoscat se ad formam septuaginta discipulorum in ministerio ecclesiastico esse promotum.

95. Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episcopo aut à venerabili Presbytero Beda editum; ut secundūm quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confessio modum pœnitentiæ imponat.

### FINIT INQUISITIO.

Hæc quæ suprà capitulatim inquirenda expressimus, auctoritate canonica roborari oportet.

Ut canonum statuta sine præjudicio ab omnibus custodianter. *Ex Concilio Melensi, quod factum fuit temporibus Karoli junioris anno dominice incarnationis DCCCX LV. v. Kalendas Julij, Indict. VIII. titul. x.*

Concil. Meld. I.  
c. 34.  
Burchard. lib.  
A. c. 61.

**C**ANONUM statuta sine præjudicio ab omnibus custodianter, & nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam vel prædicandis divinis scripturis sanctorum catholicorum & probatissimorum patrum sensum quisque sequatur; in quorum